



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 7. Laudis amore, & metu dedecoris, multa mala vitari, & bona fieri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

Niceph.
Callist.
lib. 12.
Eccl. hist.
cap. 38.

essederit, quàm misera & ærumnosa sit imperantium conditio, qui à tyrannidis falsa suspitione tum demum liberantur, eùm diem iam extremum claudunt. Iouianus certè in Romanorum Imperatorem electus, cùm argueretur, quòd eam dignitatem reiecisset, atque insignia Imperatoria recipere planè recusaret, respondisse fertur: *Se virum Christianum nequaquam ijs imperare posse, qui Gracissarent, superstitionesq; sectari didicissent.* Tanta vbiq; est hominum improborum multitudo, vt si eam imperaturi considerarent, aut perspectam haberent, prorsus cum Iouiano sensuri videantur. Sensit cum illo Otho Imperator Romanorum, qui sæpenumero dicere solebat

Bruso. lib. 3. cap. 13. *ad suos: Nescitis, amici, quid sit Romanorum gubernare Imperium: mihi credite iam experto, qui iam mori malo, quàm imperare.*

§. VII.

Laudis amore, & metu dedecoris, multa mala vitari, & bona fieri.

4. Multi honoris amantes, peccata vitant, ne dedecus & infamiam incurrant.

Eccli. 4.
15.

Hac enim de caussa dicitur: *Curam habe de bono nomine.* Vt enim virtuti laus debetur, ita vitij ignominia est annexa. Quàm multi iactant

ti iactantiâ abstinent, ne dicantur Thraso-
nes, aut Ardeliones esse videantur? Quàm
multi deposita reddunt, ne infideles esse pu-
tentur; & quamuis auidi, manus abstinent,
à pecunijs alienis, ne pro Autolycis habe-
antur? quia *melius est nomen bonum, quam*
diuitia multa. Alij, tametsi sicci, vino sibi
interdicunt, ne laudem amittant tempe-
rantis. Quidam casti manent, ne prole fe-
cuta, eorum libido prodatur. Nec coram
viris honoratis impatienter erumpunt alij,
licet graui iniuria affecti; qui, si arbitri de-
essent, ita insanirent, vt viderentur de po-
testate mentis exiisse. Nullum denique vi-
tium est, quod ab honoris appetitu non re-
frænatur, aut ab ignominia metu non co-
hibeatur. Cùm aliquando diffluxisset exer-
citus, & non remansissent, nisi octingenti
viri, Iudas dixit his, qui residui erant: Sur-
gamus, & eamus ad aduersarios nostros, si pote-
rimus pugnare aduersus eos. Et auertebant eum
dicentes: Non poterimus, sed liberemus ani-
mas nostras modo, & reuertamur ad fratres
nostros, & tunc pugnabimus aduersus eos: nos
autem paucissimi. Et ait Iudas: Absit istam
rem facere, vt fugiamus ab eis: & si appropia-
uit tempus nostrum, moriamur in virtute pro-

Proû. 22j

1.

1. Mach:

9. 8.

pter fratres nostros, & non inferamus crimen
 gloria nostra. Verè generosi ducis idea erat
 Iudas. Alij ignavi, & ad telas potius quàm
 tela nati, nihil pensi habent, quidquid fa-
 ma ferat; dicantur timidi; vocentur puella,
 & Phrygiæ, non Phryges; nominentur le-
 pores, Endymiones; Sardanapali; strenui
 ad pocula; inuiti ad proelia; nihil illos tan-
 git; haud enim magni faciunt honorem, qu-
 res suas sibi habere iusserunt virtutem, num-
 quam facilè ad bonum nomen redituri. Vt
 enim ignis accensus sine labore seruetur, ex-
 tinctus autem difficulter iterum accenditur;
 ita famam tueri facile est, extinctam haud
 facile recuperare. Quare paucorum virtus
 ad gloriam, honorem, imperium, vera via, id
 est virtute ipsa nitentium etiam à Catone lau-
 data est. Idq; talibus potissimùm concessit homi-
 nibus ad domanda graua mala multarum gen-
 tium, qui causa honoris, laudis, & gloria con-
 sulerent patria, in qua ipsam gloriam require-
 bant, salutemq; eius saluti suæ preponere non du-
 bitarent, pro isto uno vitio, id est, amore laudis
 pecunia cupiditatem, & multa alia vitia com-
 primentes, ait S. Augustinus.

S. August.
 Lib 5. de
 ciuit, c. 12.

§. VIII.

Honoribus labores velut melle condiri.

5. La